

Catholicæ fidem confirmat, & Novatorum calumnias, & deliramenta revincit. Sane nullum nunquam dissidium circa Sacramentorum numerum fuisse legimus, & hodie Græci, tametsi ab Ecclesia divisi, nobiscum consentiunt. *Hieremias Patriarcha Constantinopol.* Schismaticus, Augustanam Confessionem damnans, Græcam Ecclesiam nec plura, nec pauciora quam septem Sacramenta admisisse semper, & admittere pariter declaravit. Simile exemplum refert *Cl. Petrus Arcudius de concordia Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis l. I. c. II.* his verbis, Simeon Archiepiscopus Theffalonicensis, qui librum  
 „ integrum, eumque satis prolixum de septem Ecclesiæ  
 „ Sacramentis edidit, sic habet: Septem sunt dona Spiritus  
 „ Sancti, teste Isaja c. II. septem item Ecclesiæ Sacramenta,  
 „ quæ ab eodem Spiritu Sancto vim operandi habent, quæ  
 „ nimirum sunt Baptisma, Chrisma, Communio, Manus  
 „ impositio, Matrimonium, Pœnitentia, & Sanctum Oleum.  
 Hanc utriusque Ecclesiæ confessionem, pluribus etiam probat *Leo Allatius l. III. c. 16.* Jure igitur *Concilium Florentinum* in decreto unionis Armenorum, & *Tridentina Synodus Sess. III. can. 1.* septenarium hunc Sacramentorum numerum de fide esse expresse declarant.

## S C H O L I O N I.

Venenatas impiorum radices, & in altum defixas impietates juvat, inquit *S. Epiphanius ep. ad Hier.* in medium protrahere, ut proditæ in toto Orbe possint arescere. Osiandri igitur, & aliorum Novatorum argumenta contra septenarium numerum Sacramentorum libet audire, ut possimus postmodum audita refellere. Quid sibi vult, inquit, septenarius hic Sacramentorum numerus? in Scripturis non invenitur, non invenitur in Patribus, ubinam igitur gentium Scholastici Sacramentorum septenarium numerum invenerunt? ecquis non videt, Romanam Ecclesiam in errore versari, quæ pro fidei regula opiniunculas habet Scholasticorum? Re enim vera *Justinus Martyr* duo tantum Sacramenta recenset: Baptismum, & Eucharistiam. *Cyrillus in Catechesibus, Ambrosius lib. de Sacramentis* duobus jam dictis  
 Chri-